



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De illis qui accipiunt regimina Ecclesiarum, & cunctos fastu superbiæ
paruipendunt. xiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

*Quòd non habeantur Episcopi, quos nec clerus, nec
populus elegit, nec comprouinciales Episcopi
consecrarunt. Cap. XI.*

NVLLA ratio finit, vt inter Episcopos habeatur, qui
nec à clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti,
nec à còprouincialibus Episcopis cum Metropolitani iu-
dicio consecrati. Vnde cum saepe quæstio de malè acce-
pto honore nascatur, quis ambigat, nequaquam & ab istis
esse tribuendum, quòd non doceatur fuisse collatū? Si qui
autem clerici ab istis pseudepiscopis in eis Ecclesijs ordi-
nati sunt, quæ ad proprios Episcopos pertinebant, & or-
dinatio eorum cum consensu & consilio præfidentium
facta est, potest rata haberi, ita vt in ipsis Ecclesijs perse-
uerent. Aliter autem vana habenda est consecratio, quia
nec loco fundata est, nec autoritate munita.

*Quòd nullus ordinari Episcopus debeat, nisi ex
conuentione. Cap. XII*

NVLLVS est ordinandus Episcopus, nisi còuocatis
clericis & parochianis, & in vnum consentiētibus.

*De illis qui accipiunt regimina Ecclesiarum, & cun-
ctos fastu superbiæ parui pendunt. Cap. XIII.*

QUIDAM assumpta Ecclesia, & rebus diuinis ele-
uantur, & cunctos fastu superbiæ parui pendunt: hi
canes magis, quàm principes nominantur.

De illis Episcopis, qui superbire incipiunt. Cap. XIII.

Humilis debet esse Episcopus. Gradū enim mansuetu-
dinis accipit, non superbiæ. Paulus dicit: Decet hu-
iusmodi hominē mansuetū esse, non elatum, nec superbū.

*Quòd ordinationes Episcoporum apostolica autoritate à
cunctis prouincialibus fieri debeant. Cap. XV.*

Ordinationes Episcoporum autoritate apostolica ab
omnibus qui in eadem fuerint prouincia, sunt cele-
brandæ, qui simul conuenientes, scrutinium diligenter
agent, ieiuniūque cum conuenientibus precibus cele-
brent, & manus cum sanctis Euangelis quæ prædicaturi
sunt imponentes, dominica die hora tertia orantes, sa-